

est Parochi loc. cit. num. 90, et ad Tridentinum loc. cit. num. 121 et alii.

(52. Reiectus autem in Concursu Parochialis potest provocare ad novum examen coram Iudice Appellationis, etiam antequam doceat de irrationabili iudicio Episcopi; Sac. Congreg. Conc. in Urbinate. sub die 9 Septembr. 1628. (53. Atque ita intelligendam esse Constitutionem Sancti Pii V. alias dixit eadem Sacra Congregatio in una Montis Regalis 2 Augusti 1607. (54. Et sic pariter fuit declaratum, quod novus Concursus dandus sit in Urbe, ubi fuit appellatum a mala Episcopi electione, et ad eandem Urbem pro novo Concursu vocandus sit praelectus ab Episcopo; eadem Sacra Congregat. Concil. in Reatina 16 Martii 1630, et in Pisana 17 Junii ejusdem anni 1630. (55. Immo quia in casu illius decisionis Sacrae Congregationis praelectus noluit accedere, eadem Sacra Congreg. sub die 17 Aug. ejusdem anni 1630. mandavit « significari D. Datario, ut expediret Bullas ad favorem appellantis, amoto a Beneficio detentore. » (56. Dato quod examen omnium Concurrentium una die fieri non possit, poterit in alia continuari. Si vero suspicio aliqua sit, quod Examinandi secunda die veniant in cognitionem interrogationum Examinis praecedentis, nova tunc poterit fieri interrogatoria, ut censuit Sacra Congregatio Episcop. et Regularium sub die 20 Jul. 1591. Nunc tamen servanda est novissima dispositio Clementis XI. et Benedicti XIV. adducta supra ante art. 1, num. 4 et 5. (57. Canonicatus Pœnitentiariae, et Canonicatus Theologalis debet conferri per Concursum ex novissima dispositione Benedicti XIII. in Constitut. incip. *Pastoralis*.

(58. In Concursu ad Parochialem, si collatio pertinet ad Episcopum, iudicium de digniori ex approbatis ab Examinatoribus, pertinet ad illum; si vero Beneficium sit Patronatus Ecclesiastici, tunc praelatio ad Patronum spectat. Si Patronatus sit laicus, ab Examinatoribus deputatis approbandum, sed sine Concursu, Patronus debet eligere. Si tamen in Patronatu laicali plures sint Patroni, et a singulis suos presentetur, ita ut singuli non habeant jus præ alio, tunc Concursus instituendus est, et ad Episcopum pertinet praelectio inter approbatos, ut ex Decreto Sac. Congreg. apud Barbosam; Benedictus XIV. de Synodo Diœces. lib. 4, cap. 8, § 8 et 9.

(59. Concursus habendi pro collatione Parochialium lege praescribuntur a Bened. XIV. tom. 1, Constit. 68, incip. *Cum illud*. Vide supra ante art. 1, ubi sub num. 5, traditur summarie dispositio dictae Constitutionis.

(60. Quo ad Parochiales, et Beneficia, quæ conferri debent per Concursum, vel non; vide verb. *Beneficium*, etc., art. 3. a num. 31. ad num. 57.

ADDITIONES AUCTORIS.

(61. Terminus ille decem dierum, et ad summum viginti dierum, qui prorogari ab Episcopo regulariter nequit, non est pro perfectione Concursus, sed pro convocatione eorum, qui concurrere volunt, ut monent Barbos. ad Concil. Trident. sess. 24, cap. 18, num. 58. de Reform. Ventrigl. Prax. For. Eccl. p. 3, adnot. 5, § 1. num. 15. Loter. de re Benef. lib. 2, quæst. 35, num. 48, et seq. (62. Quo fit, ut elapso etiam termino illo, liberum Episcopo sit differre Concursum usque ad ultimam diem semestris, si vacatio contigerit in suo mense, et pariter usque ad ultimam diem trimestris, si evenerit in mense reservato, ut præter mox allegatos firmant Massobr. in Prax. habend. Concurs. req. 5, dub. 10, num. 2. Fagnan. de Jurepatron. part. 5, con. 10, cas. 1, num. 50.

(63. Quod si Episcopus in edicto pro convocatione nullam habuit mentionem de die, quo Concursus convocandus esset, debet omnibus, qui in albo Concurrentium se descriperunt, notifi are diem hunc, et quidem non per novum edictum, sed per citationem personalem, idque quia ubi certus est oppositor, citandus est personaliter, et non per edicta, ut tradunt Ventriglia in Prax. For. Eccles. t. 2, adnot. 5, § 1, num. 17. Leuren. For. Benefic. part. 1, c. 3, § 4, quæst. 180, in fin.

ADDITIONES EX EDITIONE BARBIELLINIANA.

(64. Non est hic omittendum Episcopi Novariensis Josephi Mariæ Maraviglia documentum, qui in aureo suo et perraro tractatu de Legibus Prudentiæ Episcopalis Lege 187, hæc habet: Episcopalis Prudentiæ praxis, et consuetudo ea est, ut Clericus ille velut aptior ad beneficium obtinendum, et ad exercendam animarum curam approbetur, qui ex majori Synodali Examinantium parte magis reputatur idoneus. (65. Mos iste instituendi, sive probandi Concursus fere apud omnes Episcopos inolevit, quo tamen doctrinæ, vel rationis fundamento id sit institutum, nemini hactenus factis deprehensum est. (66. Neque praxis ejusmodi sola consuetudine firmanda est, cum ex cap. de consuetud. ex cap. Cleric. de Judiciis, et ex cap. de Sacros. Eccles. non omnis consuetudo faciat doctrinam probabilem amplectendam, doctrina namque probabilis fit talis potius ratione, quam autoritate, aut consuetudine, ut optime Brav. exerciti. 1. Pasqualig. decis. 2, et alii quamplures. (67. Cum igitur Episcopalis prudentiæ munus id unum sit, ut semper rationabilius operetur, et possit Episcopus plerumque rationabilius agere adhærendo probabiliori unius Examinatoris iudicio, quam minus probabili plurium sententiæ, et voto, hinc sequitur apertissime in Episcopi arbitrio positam esse, idque tutissima conscientia, illius concurrentis electionem ad beneficium, cui etiam major. (68. Examinatorum numerus

suis renuat votis, favente huic doctrinæ Jure Civili, et Canonico in l. § *neque*, cap. de veter. Jure enuclean. ubi habetur; « sed neque ex multitudine auctorum, quod melius, et æquius est judicari debet, cum possit unius forsant sententia, et multos, et majores aliqua in parte superare » et ex cap. *Capellanus*. de feriis habetur, Summum Pontificem ex duabus propositis opinionibus, magis singularem elegisse, ex eo quod meliori, et probabiliori inniteretur rationi. (69. Quæ prudentiæ regula servari poterit ab Episcopo etiam in aliis publicis consulentiis Do-

ctorum congressibus ad id genus alia institutis, in quibus unius opinio, dummodo sit optima ratione munita, poterit communi præferri; omnis enim opinio habet probabilitatem a ratione, quæ dicitur probabilitas intrinseca, nimirum ex principio intrinseco, ad differentiam probabilitatis extrinsecæ, quam facit opinantium auctoritas. (70. Cum itaque possit esse melior ratio in uno, quam in pluribus, et ideo etiam probabilitas major, sic poterit ab Episcopo unius tantum opinio eligi, et probari in quocumque eventu, relicta multorum opinione contraria.

CONCUSSIO.

Vide verb. *POENA*. art. 2, a num. 82 ad 85.

CONDITIO

PROUT EST IMPEDIMENTUM MATRIMONII.

Vide verb. *MATRIMONII QUOAD IMPEDIMENTA*, art. 1, a n. 16 ad 22.

CONDUCTIO. CONDUCTOR.

Vide verb. *LOCATIO PER TOT*.

CONFESSARIUS.

SUMMARIUM.

ARTICULUS I. — *Quæ requirantur in Confessario ad valide, et rite ejus officium exercendum.*

1. In Confessario, ut valide ejus officium exerceat, requiritur intentio, potestas Ordinis, et Jurisdictionis. — 2. Intentio Confessarii est conditio sine qua non. — 3. Talis intentio, ut sit sufficiens, debet esse actualis, vel virtualis; non sufficit habitualis. — 4. Potestas Ordinis necessario requiritur in Confessario, quia solus Sacerdos est legitimus Sacramenti Pœnitentiæ Minister, usq. ad n. 5. — 6. Potestas Jurisdictionis etiam necessario requiritur in Confessario; cum absolutio data a Sacerdote sine Jurisdictione sit nulla, usq. ad n. 10. — 11. Defectu Jurisdictionis simplex Sacerdos non approbatus neque valide potest absolvere a peccatis venialibus, aut mortalibus alias confessis, usq. ad n. 42. — 13. Possunt tamen simplices Sacerdotes in articulo mortis absolvere nedom a venialibus, et mortalibus alias confessis, sed insuper a quibusvis casibus, et Censuris, etiam reservatis. — 14. Pro tali casu Ecclesia dat Jurisdictionem omnibus Sacerdotibus, etiam degradatis, Excommunicatis vitandis, Irregularibus, Apostatis, seu hæreticis. — 15. Talis ampla potestas extenditur ad probabile periculum mortis. — 16. Simplex Sacerdos non potest in tali articulo absolvere præsentem Sacerdote approbato, usq. ad n. 17. — 18. Confessarius Sacramentum Pœnitentiæ sine debita intentione ministrans peccat graviter, et sacrilege. — 19. Immo graviter peccaret, et sacrilegium committeret, etiamsi Sacramentum simularet ex gravi metu, vel alia causa, usq. ad n. 21. — 22. Potest tamen Confessarius, qui reperit penitentem absolutione indignum, obmurmurando recitare *Pater noster*, vel hujusmodi, ne prodatur apud astantes penitentis indignitatem. — 23. Nemo sine potestate Ordinis, etiamsi esset in Sacris constitutus, potest in ullo casu Confessiones excipere. — 24. Hinc Sacramentaliter audens absolvere cum non sit Sacerdos, sit suspectus ab hæresi, et si compleverit vigesimum annum est degradandus, et brachio Sæculari tradendus, et ultimo supplicio afficiendus.

— 25. Nullus Sacerdos sive Sæcularis, sive Regularis potest confessiones excipere sine potestate jurisdictionis, sive sine approbatione, aliter absolutio esset nulla, gravissime peccaret, et rigide posset, et deberet puniri usque ad n. 27. — 28. Potestas Jurisdictionis est duplex, ordinaria scilicet, et delegata. Quid sit utraque hæc potestas? usque ad n. 29. — 30. Quomodo differant inter se potestas Ordinis, et potestas Jurisdictionis quantum ad facultatem absolventi? usque ad n. 32. — 33. Error communis potest dare jurisdictionem, si in vero sensu capiatur. Hinc error communis potest capi dupliciter; Error communis cum titulo colorato, seu putativo et error communis sine titulo colorato, et putativo; et quid sit uterque hic error communis? usque ad n. 35. — 36. Error communis cum titulo colorato, et putativo dat jurisdictionem ad valide absolventum, licet occultum subsit impedimentum ex jure positivo proveniens. — 37. Secus autem si defectus, seu impedimentum esset ex jure naturali, vel divino proveniens. — 38. An autem etiam error communis sine titulo colorato, seu putativo det jurisdictionem ad valide absolventum, fiat duplex contraria sententia, una negativa, altera affirmativa: et quamvis sententia negativa sit communior, affirmativa tamen est magis pia, communi utilitati, et animarum saluti magis consentanea, usque ad n. 42. — 43. In Confessario ultra tria requisita ad valide absolventum, scilicet intentio, potestas Ordinis, et potestas Jurisdictionis, requiruntur alia tria ad rite, licite, et digne absolventum, scilicet Probitas, Scientia, et Prudentia. — 44. In confessario ita requiritur probitas, ut si existens in peccato mortali scienter ministrat Sacramentum Pœnitentiæ, peccat mortaliter, ad n. 45. — 46. Immo Confessarius si absolvat in mortali, quamvis continue Confessiones audiat, toties peccat, quoties successive aliquem absolvit, ut sentiunt multi Doctores. — 47. Quamvis tamen id negent aliqui; et varii alii merito dicunt esse probabile, quod talis Confessarius tantum semel peccet, ex quo videatur esse unicum tantum continuatum ministerium. — 48. Ut Confessarius licite, et digne audiat confessiones, debet habere saltem scientiam medicorum, qua cognoscat id, quod ad suum spectat offi-

cium, et quidquid debeat judicare, discernat. — 49. Non tenetur tamen habere scientiam eminentem. Hinc habes quod duplex est scientia, una mediocris, et altera eminens: et quid sit utraque hæc scientia? usque ad n. 50. — 51. Scientiam mediocrem tenentur omnes Confessarii habere secundum magis, et minus, attenta diversitate personarum, et locorum. — 52. Confessarius ignorans quæ scientia medioeri saltem principaliter scire tenetur, peccat mortaliter se exponendo ministerio confessionis. — 53. Immo Confessarius ignarus ex ignorantia absolvens quem absolvi non poterat ob reservationem peccati, vel indispositionem penitentis, dupliciter peccat mortaliter. — 54. Quinimodo talis ignarus Confessarius, nisi congruam diligentiam sincere proponat, ipsemet confitens ab alio Confessario absolvi non poterit. — 55. Monitio ad tales Confessarios, usque ad n. 56. — 57. Monitio ad penitentes, qui scientes ad tales Confessarios accedunt, usque ad n. 58. — 59. Prudentia Confessarii principaliter consistit ut pro diversis, diversus sit medicus, diversus Doctor, diversus Judex, usque ad n. 65. — 64. Prudentia Confessarii maxima requiritur in exequendis Brevibus Sacre Penitentiarie, præsertim in certiorandis conjugibus de nullitate consensus ob impedimentum dirimens, quando alter eorum inscius contraxit. — 65. Circa hunc casum plures a Doctoribus traduntur modi certiorandi partem insciam, usque ad n. 79. — 80. Prudentia Confessarii potissimum requiritur, cum in confessione a penitente sponso, vel sponsa ei aperitur aliquod impedimentum dirimens, et jam parata sunt omnia ad nuptias, nec potest ab illis abstinere ad evitandam suspicionem alicujus criminis vel infamiae inter sponso, usque ad n. 85. — 84. Prudentia Confessarii requiritur pro discernendo quando debeat, vel non monere penitentem ignorantia alicujus gravis mali laborantem, usque ad n. 86. — 87. Absolutio Sacerdotis non approbata est nulla. — 88. Absolutio impertita complici in peccato turpi extra casum necessitatis irritatur. — 89. Hæc valida in articulo mortis, absque necessitate. — 90. Sed Sacerdos incurrit censuras Papæ reservatas. — 91. Quænam Absolutiones irritæ Papæ reservantur. — 94. Absolutio denegatur ignorantibus mysteria Fidei, tenenda necessitate mediæ. — 95. Quid si tenenda necessitate præcepti. — 96. 97. Absolvendi facultas a casibus reservatis et censuris conceditur Cancellario Militiæ S. Januarii, et Confessariis Militiæ S. Joannis Hierosolymit. — 98. Non potest Superior Regularis inferiores absolvi a percussione Clerici Sæcularis. — 9. 107. Quo jure Sacerdos potestatem absolvendi obtineat. — 108. De approbatione Confessarii. *Remissive.* — 109. Casus in quibus probabiliter Complex Sacerdos in mortis articulo valide absolvi potest. — 110. Error communis sine titulo colorato jurisdictionem certam non confert. — 111. Si penitens sit in bona fide, et desperatur de restitutione, non admonendus. — 112. De debito penitentes interrogandi. — 115. De Confessionibus olim Diaconis, Abbatissis, et laicis factis. — 114. De Potestatis in Sacramento Penitentiae origine.

ARTICULUS II. — De facultate Regularium absolvendi Sæculares a Censuris et Casibus Apostolicæ Sedi reservatis.

1. Causa hujus Appendicis scribenda. — 2. Natalis Alexandri opinio de facultate absolvendi Sæculares a Censuris, et Casibus Apostolicæ Sedi reservatis generatim ubique Regularibus sublata, ejusque fundamenta. — 3. Hæc nullius momenti esse evincitur ad n. 12. — 15. A quibus Casibus Sedi Apostolicæ reservatis absolvi penitentes suos Sæculares possint Religiosi, qui sunt extra Italiam, vel in Urbe; a quibus qui intra Italiam extra Urbem. — 14. Quid de Casibus a Romanis Pontificibus post Decreta publicata sub Clemente VIII reservatis.

ARTICULUS III. — Quoad varia alia, quæ concernunt Confessarium.

1. Confessarius tenetur absolvi penitentem alias dispositum juxta sententiam vere probabilem ipsius penitentis, etiam contra propriam opinionem. — 2. Confessarius, nec debet, nec potest absolvi peccatores recidivos, et consuetudinarios, qui crebro peccant contra legem Dei, Naturæ, et Ecclesiæ, si nulla ipsis appareat spes emendationis. — 3. Nec potest Confessarius absolvi penitentem, qui est in proxima occasione peccandi, quam potest, et non vult dimittere; quinimodo directe, aut ex proposito querit, aut ei se ingerit, non excusante, quod illa occasio multam conferat utilitatem. — 4. Nec potest Confessarius absolvi penitentes, quos cognoscit culpabiliter ignorare mysteria fidei, et præcipue illud Sanctiss. Trinitat. et Incarn. Christi Domini. — 5. Nec potest Confessarius in magno penitentium concursu ipsos solummodo dimidiare audire, et absolvi, sed debet ipsos singulatim integre audire, et non nisi integre confessos absolvi, et dimittere. — 6. Religiosi semel simpliciter approbati possunt in Diocesi Episcopi approbantis quovis anni tempore, etiam Paschali, et quorumcumque etiam infirmorum Confessiones audire, absque ulla Parochorum, vel ipsius Episcopi licentia; de qua tamen confessione tenentur dicti Religiosi eorumdem infirmorum Parochum, saltem per scripturam apud ipsum infirmum relinquendam certiorare reddere. — 7. Valde convenit, ut Confessarii extra casum infirmitatis aut alterius honestæ causæ non nisi in Ecclesia audiant Confessiones. — 8. Sacra Congregatio Episcoporum et Regularium approbavit Ordinarii Constitutionem; qua prohibebatur, quod Regulares non audirent Confessiones sæcularium in propriis Cellis. — 9. Confessarii sine necessitate audire non debent mulierum Confessiones post crepusculum vespertinum, et ante auroram. — 10. Sacra Congregatio Episcoporum et Regularium laudavit prohibitionem audiendi mulierum, et puerorum Confessiones extra Sedem Confessionalem, vel e conspectu, et non interposita Crate sub pœna suspensionis ab audiendis Confessionibus, et postea literis Encyclicis hoc idem injunxit Sacr. Congregat. Inquisitionis. — 11. Confessarii possunt juberi ab Episcopo, ut denegent absolutionem parentibus notabiliter contumacibus quoad filiorum educationem in rebus ad animarum salutem spectantibus. — 12. Confessarius non absolvat sollicitos, nisi denunciarent sollicitantes. — 13. Confessarius sollicitans denunciandus a sollicito. — 14. Confessarii sollicitantes inhabilitantur perpetuo ad Missæ celebrationem. — 15. Calumniatores Confessarium quoad sollicitationem privantur beneficio absolutionis. — 16. Constitutiones Greg. XV. et Bened. XIV. a Confessariis approbandis legenda. — 17. Constit. contra sollicitantes observanda a Græcis. — 18. Confessarius caret jurisdictione absolvendi socium criminis. — 19. Absolvens incurrit excommunicationem Papæ reservatæ. — 20. 21. Quid si penitens complex sit in mortis articulo. — 22. 28. Confessarii interdicitur exquirere a penitentibus nomina complicum in crimine; et pœnæ in exquirentes. — 29. Confessarius Ordinarius Monialium unicus pro tota Communitate deputari debet. — 30. extraordinarius bis aut ter concedendus. — 31. 33. Ad quid tenentur Extraordinarius et Moniales. — 34. Confessarii Extraordinarii electio ad quem pertinet. — 35. Ad quem approbatio. — 36. Prælatorum Regularium negligentia in deputatione Extraordinariorum supplenda ab Ordinario; Ordinariorum a Cardinali Penitentiario. — 37. 41. Quandoam Extraordinarius concedendus peculiaribus Monialibus. — 42. 45. Quid statuerunt Innoc. XIII. et Bened. XIII. de Extraordinariis deputandis Monialibus Regularibus subjectis. — 46. Extraordinarius, expleto officio, abstinere ab accessu ad claustra Monialium. — 47. Confessarius Ordinarius nequit excipere Confessiones, durante officio Extraor-

dinari. — 48. Confessarius Regularis qui non est Prælator Monasterii non potest esse Judex in causis de nullitate Professionum. — 49. Facultates Confessionum tempore Jubilæi. — 50. VI Bullæ Cruciatæ. — 51. 53. Confessarius electus in vim Bullæ Cruciatæ pro absolutione a censuris, approbandus ab Ordinario loci. — 54. Absolvens absque approbatione incurrit suspensionem ipso facto, et absolutio est nulla. — 55. Confessarii quotannis Exercitiis spiritualibus vacent. — 56. Confessarius requisitus de attestazione Confessionis, debet illam concedere, sed non debet de absolutione affirmare. — 57. Penitens tempore Paschæ absolutus Confessario proroganti ejus communionem potest parere absque peccato. — 58. Decretum Sacre Penitentiarie. — 59. 65. Nota Censuris Theologi ex Edit. Romana. — 64. Responsio Auctoris. — 65. Animadversio novissima in superiorem Auctoris responsonem. — 66. Constitutiones Bened. XIV. de Sacr. penitentia quoad complices in peccatis declarantur.

ARTICULUS IV. — Confessarius Monialium tam Ordinarius, quam Extraordinarius.

1. Monialium Confessarii eligi debent, et approbari ab Episcopo loci pro monasteriis sibi subjectis. — 2. Pro monasteriis autem Regularibus subjectis eligi, et deputari debent a suis respective Superioribus Regularibus; ab Episcopo Diocesano debent idonei judicari, et approbari. — 3. Potest tamen Episcopus in aliquibus casibus deputare Confessarium Sæcularem, seu Regularem etiam alterius Religionis monialibus exemptis. — 4. Quod Episcopus in casu negligentia Superiorum possit deputare Confessarium Extraordinarium monialibus Regularibus subjectis, decrevit expresse Sacr. Congreg. Concilii. — 5. Insuper potest Episcopus ex justa et rationabili causa Superiores Regulares admonere, ut ejusmodi Confessarios amoveant, et si Superiores id facere detrectent, aut negligant, potest ipse prædictos Confessarios amovere quoties, et quando opus esse judicaverit. — 6. Nec Episcopus tenetur ejusmodi causam significare superioribus Regularibus. — 7. Confessiones monialium sibi subjectarum auditæ a Confessariis Regularibus sine approbatione Episcopi sunt irritæ, et nullæ. — 8. Neque Superiores quicumque, etiam si sint Generales, possunt sine approbatione Episcopi audire Confessiones monialium sibi subjectarum. — 9. Licet idem Confessarii sint generaliter approbati ab Episcopo ad audiendas Confessiones Sæcularium, adhuc est eis necessaria approbatio pro monialibus sibi subjectis. — 10. Nec approbati ab Episcopo ad audiendas Confessiones Monialium unius monasterii, censentur approbati ad audiendas Confessiones Monialium alterius Monasterii. — 11. Etiam Confessarii Extraordinarii indigent speciali approbatione Episcopi. — 12. Nec semel approbati censentur semper approbati. — 13. Nec in vim unius approbationis possunt pluries monialium etiam ejusdem monasterii Confessiones audire, sed toties debent ab Episcopo approbari, quoties casus deputationis contigerit. — 14. Immo tales Confessarii indigent approbatione Ordinarii ad audiendas Confessiones Monialium sibi subjectarum non obstante etiam contraria consuetudine immemorabili. — 15. Confessarii non approbati specialiter ad audiendas Confessiones monialium, nequeunt earum Confessiones audire, neque tempore Jubilæi. — 16. Approbatus pro Monialibus unius monasterii, neque tempore Jubilæi censetur approbatus pro monialibus alterius monasterii. — 17. Confessarius presentatus ad excipiendas Confessiones Monialium Regularibus subjectarum debet, vel absolute rejici, vel per totum triennium approbari, non vero ad tempus brevius. — 18. Nulla ex Monialibus subjectis Regularibus sentiens se non gravatam mortali culpa potest de venialibus valide confiteri sacramentaliter cuicumque Sacerdoti non approbato ab Ord-

nario. — 19. Confessarii monialium durare possunt solum triennio, quo elapso, non possunt amplius audire Confessiones in eodem monasterio per aliud tempus absque licentia Sacre Congregationis, alias declarantur suspensi ab audiendis confessionibus. — 20. Quod habet locum etiam in Confessario conservatorii puellarum, ac aliarum quarumcumque mulierum. — 21. Confessarii vero Dominicani, et Casinenses non possunt durare in hujusmodi Officio nisi per biennium. — 22. Si autem esset quis deputatus Confessarius ad aliquot menses per modum supplementi, poterit iste in generali deputatione Confessarium, quæ postea fiet, ab Ordinario eligi in Confessarium ejusdem Monasterii ad integrum triennium. — 23. Confessarius, si expleto triennio, ex dispensatione Sacre Congregationis, eligatur ad aliud triennium, non potest rursus expleto secundo triennio absque alia dispensatione eligi ad tertium triennium. — 24. Confessarii Monialium esse non possunt qui sunt Vicarii Generales. — 25. Neque Parochi, si exinde cura notabiliter pateretur. — 26. Neque Minores Conventuales. — 27. Neque Observantes Provincie Reformatæ S. Antonii Lusitanie. — 28. Et generaliter Regulares, non solum non possunt esse Confessarii Ordinarii, sed neque Cappellani monialium Ordinario subjectarum. — 29. Unde Ordinarii non possunt uti opera Confessarium Regularium, etiam pro Confessariis Extraordinariis, nisi in casu necessitatis. — 30. Sic etiam Parochi licet ordinarie non possint deputari Confessarii monialium, possunt autem, si exinde cura notabiliter non patitur. — 31. Sic pariter licet regulariter Canonicus Penitentiarius non possit deputari Confessarius Monialium ubi non valeat utriusque muneris satisfacere; potest tamen deputari, ubi valet utrumque munus adimplere. — 32. Præter Confessarium Ordinarium debet etiam alius Extraordinarius ab Episcopo, et aliis Superioribus bis, aut ter in anno monialibus offerri. — 33. Potest tamen Confessarius extraordinarius eis concedi a Superioribus per plures vias, quam ter in anno. — 34. Moniales nequeunt recusare unum Confessarium Extraordinarium, seu Ordinarium, et alium petere, nisi assignata justa causa recusationis. — 35. Possunt tamen moniales etiam sine causa recusare Confessarium Extraordinarium, nullum alium loco ipsius petendo. — 36. Moniales, quamvis, si nolint, non teneantur omnes Confessario Extraordinario confiteri, tamen coram ipso debent omnes successive comparere, etiam quæ confiteri nolunt. — 37. Adducitur ad id Edictum pro monialibus Urbis, mandante Clemente XI. editum. — 38. Confessarius Extraordinarius nunquam datur pro Moniali particulari. — 39. Nec perpetuus, neque ad tempus. — 40. Nisi per sacram Penitentiarium pro una vice tantum, vel de licentia Sacre Congregationis. — 41. Potest tamen Episcopus ex aliqua speciali ratione concedere Extraordinarium alicui Moniali particulari, puta in articulo mortis. — 42. Confessarius Extraordinarius potest deputari a Superioribus quolibet anni tempore, et ad dies sibi bene visos, prout suadent circumstantiæ hic, et nunc concurrentes. — 43. Dies autem determinati, si non obstat vel consuetudo, vel statutum aliquod particulare, incipiunt currere a die cepti exerciti. — 44. Tempore deputationis Confessarii Extraordinarii expedit, quod Ordinarius non accedat ad Monasterium. Immo pro Monasteriis Urbis hoc præcipitur expresse omnibus Confessariis sub gravissimis pœnis. — 45. Sic etiam expedit, quod Confessarii omnes, tam Ordinarii, quam Extraordinarii completo suo Officio, et Ministerio, non amplius ad dicta Monasteria accedant, neque ob motivum directionis, et conferentiæ spiritualis. Immo pro Monasteriis Urbis hoc expresse præcipitur omnibus dictis Confessariis sub gravissimis pœnis. — 46. Prælati Regulares in Regnis Hispaniarum teneantur